



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

49. De viduis quæ professa continetia prævaricantur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14622

ricaverunt, sunt damnandæ à nobis. Quæ & à vobis & à reliquis nostri ordinis viris, à singulis videlicet sua in diœcesi, à liminibus Ecclesiæ & cœtu fidelium usque ad satisfactionem, ut prædictum est, sunt eliminandæ.

Ne Clerici viduarum familiaritati associentur.

Ex Concilio Carthagenensi cap. cii.

XLVII. Ad reatum Episcopi pertinet, vel Presbyteri qui parochiæ præest, si sustentandæ vitæ præsentis causa adolescentiores viduæ vel sanctimoniales Clericorum familiaritati subijciantur. Concil. Carthag. 4. c. 102. Burchard. lib. 8. c. 55.

De viduis quæ Ecclesiæ stipendiis sustentantur. *Cap. ciii.*

XLVIII. Viduæ quæ stipendio Ecclesiæ sustentantur, assiduè in opere Dei esse debent, ut & meritis & orationibus suis Ecclesiam adjuvent. Ibid. c. 103.

De viduis quæ professa continentia prævaricantur. *Cap. civ.*

XLIX. Sicut bonum est castitatis præmium, ita majori observantia & præceptione custodiendum est ut si quæ viduæ, quamvis adhuc in minoribus annis positæ, & in matura ætate à viro relictæ, se devoverint Deo, & vestes laicales abjecerint sub testimonio Episcopi, & post ad seculum redierint, damnentur, quia fidem castitatis, quam Deo devoverunt, irritam facere ausæ sunt. Tales ergo personæ sint à Christianorum communionem alienæ, quæ etiam nec in convivio

436 SECUNDA APPENDIX
cum Christianis communicent. Nam si adul-
teræ conjuges reatu sunt suis viris obnoxia,
quanto magis viduæ, quæ Deo religiositatem
voverunt, crimine adulterij notabuntur, si de-
votionem, quam spontè Deo obtulerunt,
libidinosa voluntate corruperint, atque ad se-
cundas nuptias transitum fecerint; quæ eti-
am violentia irruente ab aliquo prærepta fuerint,
ac postea delectatione libidinis permanere in
conjugio raptoris vel violento viro consense-
rint, damnatione superiùs comprehensa te-
neantur obnoxia. De talibus enim dicit Apo-
stolus: *Cùm luxuriata fuerint, nubere vo-
lunt, habentes damnationem, quia primam se-
dem irritam fecerunt.*

De viduis quæ viduitatem professæ sunt
coram Episcopo. *Ex Concilio
Arausicano cap. ix.*

Concil. Arau-
sic. 1. c. 27.
Burchard, lib.
8. c. 43.

L. Viduitatis servandæ professionem co-
ram Episcopo faciendam & habitum imposi-
tum minimè violandum; ejus verò raptorem,
vel ipsam talis professionis desertricem merito
damnandam decernimus.

De virginibus quæ infra xxv. annos necessi-
tate cogente velantur. *Ex Concilio Car-
thaginis Africae VIII. cap. xxvi.*

Concil. Mile-
vit. 2. c. 26.
Concil. Car-
thag. 7. c. 93.
* virginalis,
cùm

L. I. Placuit ut quicumque Episcoporum,
necessitate periclitantis pudicitia * *virginem*
velaverit, cùm vel petitor vel raptor formi-
datur, vel si etiam aliquo in mortis periculo
scrupulo compuncta fuerit ne non velata mo-
riatur, aut exigentibus parentibus Ecclesia
aut hi ad quos cura pertinet, velaverint virgi-